

III.
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 3.

*Secretum litterarum commercium inter vivos
et vita functos*

A d A r i s t a r c h a e .

Elysium-Meum.-Die Veneris 27. Jan. 1809. (Neov. 10. Jan. 1809)

Hodie cum Helveto, qui elegantiorum artium tolerantiam pro concione docuit, voce alta exclamo: Pax vobis, Aristarchae, eruditique Critones! qui incessanter bella solum, praelia, victorias, tristes inter factiones nostrorum poetarum, elegantesque inter mentes memoratis! Paulo magis humanitati, tolerantiaeque indulgete, & pax est. Mihi saltem propositionem ad eam sequente praeliminari animadversione audendi animus est.

Ante omnia, mei Domini! sciendum est, ad partes conciliandas veritatem certi principii stabilendam esse. Judicium de gustu hominum tamdiu concors non erit, quamdiu ii intuitu sensualitatis suae diversa organorum structura; &, respectu moralis Culturae, inaequali gradu constiterint, — hac The- si stabilita, omnis Infallibilitas nostrorum artis Judicium ipse argumento gustus, ceu lepida usurpatio, tollitur.

Paciscor: si elegantium artium factionum heroes nostri in hoc argumento cum practi-

ca ratione sua ad liquidum pervenissent, in Parnasso brevi tempore voces insonarent: Pax vobis — verum prævideo ad hanc propositionem nullam partem tractationi animi adcommodaturam, quo moveor, cum Helveto nostro alia ratione negotii præsidium suscipere.

Quos auctores Germanica natio adamat? profecto non excelsos principesque poetas, qui ad leges Horatii, Boileauii, Battauxii, Sulzeri & Lessingii artem suam exegere, immortalitatemque adepti. Lectores e vulgo pauci sunt horum. Cultioribus solum gratam lectionem præbent.

Vultis Germanis amatos scriptores nosse? Ite ad Collectiones librorum, qui publicæ lectioni, & commodato exponuntur, disquirite eorum Elenchos, & qui potissimum quærantur, rogate — Iustrate nundinarum Catalogos, & quorum scripta potissimum editionibus celebrata, reperietis. — Subite theatra, quærite: quorum Drammata maximo numero cupidissime frequententur?

Diducitis labia Aristarchæ! petitis ab auctoribus artis perfectissima opera edi, hoc quidem a politica abest! quis, amabo, Philosopho & politico nobilissimus omnium elegantiorum disciplinarum finis? ut in animos vulgi agant, rudes animos excolant, barbariem moratiorem reddant. Creditisne opulentos Colonos, opifices, mercatores, Copistas, Senatoresque &c. nostros, librum arrepturos, si Germani non alias Tragoedias,

quam Iphigeniam a Göthe, Carlossam a divo Schillero, non aliam fabulam Romanensem, quam Valdemarum a Jacobio, & Agathonem Wielandi obtinuerint? In diversis Culturæ gradibus diversitas æque auctorum vigeat oportet. Reapse majus emolumentum est, scriptorem Synchronis amatam, ac litteraturæ Ephemeridum probatum auctorem esse.

Generatim per lectionem medioeris notæ scriptorum plebs ex ruditatis abysson extrahitur, deduciturque ad meliores aliquando artis magistros æstimandos. Pretium non dirimit minor pars ita dictorum officiosorum Critonum: verum adprobatio popularis turbæ, pro cuius intelligentia, & adprehendendi facultate opus editum, vulgatumque.

Tum hoc pretium æstimatione hæc, in orbe erudito caduca & transiens est, ut vigens mos. Hominum genus inconstantia suapte natura deditum, mores novos adpetit; auctores hos ingrediuntur, non secus quam linæ suppellectilis lotrix, eorum opera oblivioni traduntur, ut primum alius mos invalescit.

Eccur igitur tantopere æstuat adversus inanem sonum, & ludicras nœnias Schlegelii, Tieckii, Novalisii, Pellegrinei & aliorum? vigens mos præterit!

Nuncius Wandsbekensis Asmus (hodie jam obliterated) & aliquot minutia Gøtheii morem scribendi per Apostrophes, & signa meditationis, simplicem & energicam scribendi rationem vigentem fecerunt, tum in

saero Imperio Romano energia & vis non desiderabatur, arbores amplexabantur scriprores, loquebantur genialiter ad morem aurigæ, & execrationes effuderunt ad morem Corporalis militaris.

Bardi se celebres reddidere. Kretshmannius celebravit glandes, tota barbarici Septentrionis Mythologia intexebatur; Wodan veteri matrimoniorum Deo Zevs, Freya Veneri bellum movit, quocunque eorum auris ferebatur, Bardus boabat.

Jam poetici comparuere vates, animi sui sensa, pro more suo in obscuris Elogiis exprimentes; aspernantes omnem mundum, qui sublimitatem eorum Cantuum assequi non potest; nonnunquam, utpote contradictionis osores adeo temeritatem indecentiamque præferunt, ut olim energica ingenia, Bardique præditi erant, quod rei Consecrarium? da modicum & oblivioni tradentur, cum energica ingeniositate, & bardico vagitū polleant.

Gallos facile, hilare, placidumque acumen delectat. — Forte, audax, singulare Anglos. — Germani distincta propensione feruntur in res mirabiles. Mores vigentes in elegante litteratura, hoc mirabili nixi, nullo non tempore constantem adprobationem adepti sunt.

Vetustissimæ, quarum memini, Robinsonades erant. Diu dominabantur, & adhuc nondum ex integro a vulgo oblivioni traditæ sunt. Jam Robinsonum memora-

batur historia, qua omnis regio Europæ, quivis ferme Circulus Imperii Germanici, ipsæ alterius orbis partes spectra proposuere captivitatem Algeritanam subeuntia, pyratas multum vexantia, tandem desertam regionem aut Insulam deprehendentia, in eaque commodum regnum condentia, de quo nec Cel. Büsching, nec Fabri aliquam notitiam ceperunt.

Tandem toties repetitæ Crambis tædium obortum est. Insulæque Maris australis, pyratæque ac altum pervagantibus parcutum; Wertheri Cruciatu orbi sensitivo arma suppeditavit, glans plumbea dextrorsum lævorsum jactabatur, Cosuobia aperiebantur, sepulcris admoriebantur miseri, multum diuque miseris aerumnisque conficiebantur; qui Collectiones librorum lectioni publicæ destinatarum percursat, facili deteget opere Siegwardos, Burgheimios, Thesias, omnesque delicatos amores ex concavo lunæ petitos hodie dum a pedissequis, Cocis feminis, & semicultis opificum sodalibus cum voluptate & inter amaras lacrimas legi.

Mites amorem suspirantes animæ per inconditum Chorum senum Equitum, Cruciatorum militum, Templariorum, eorumque armigerorum prosternebantur: Jam nunc inceperunt obambulationes, hastarum projectiones, quibus se provocarent, virginum raptus, peregrinationes sacræ, & homicidia. Viti Weberi dictamina præteritorum temporum veterum obsoletarum Chronicarum pretium

auxit. Quivis eques hastiludii particeps, arcis oppugnator esse voluit, quivis laudis plenum parvæ imperialis urbis dicendi genus adoptavit. Infelici prorsus fato evenit: ut Hubero cogitatio de secreto Tribunali occurreret. Ex hoc tempore ubivis erant angustiae.

Imperator & Imperium Jura sua amisere: præstantissimi quique Equitum sacro Judicio traditi, verum hoc Juri fortioris finem non imposuit, & malum tanto magis incredunt.

Etenim: exactis tantis Cædibus & horrendis Equitum facinoribus mirum non erat, animas mortuorum adparuisse. Schillerus adparitionem mortuorum adornavit. Jam quanto quis minus animosus erat, tanto plus spirituum vidit.

Rudera desolataram arcium monstrorum erant domicilia. Omnes Librariæ adparitionibus mortuorum, visionibus, exorcisationibus, geniis, radiantibus virginibus, aliisque id genus naniis redundarunt, Elenchusque nondinarum Lipsiensium articulo de Romanensibus Fabulis erat completus Index umbrarum Cocytum ambientium.

Alius Equestris licentiæ effectus erat origo immensorum vulgarium Ordinum ad delinquentes plectendos. Tum vero fœderati heroes, fratres nigri & consortes in omni angulo clam oberrarunt, mysteria potentium societatum, quæ universum orbem tacite moderabantur.

Hodie dum reliquæ ultimæ Equitum umbrarum, & confratrum, quamquam debili

effectu in amplo lectioſi dedito mundo rem agunt. Alii quippe heroes surrexere, an ore que germanicæ Christianitatis potiti sunt. Abællino, qui quidem exemplar solum Schilleriani Caroli Moor esse videtur, turbam prægrandem pessimæ Colluviei hominum ex Italia in Germaniam advocavit. Latrones & Assassinarii Equitibus, Umbris, Confratribusque brevem diem dixere. Dominus Volpius solus Germaniam integra turba Assassinaria replevit. Ex quo Rinaldino Rinaldini sica vitæ sustentationem nactus, Lipsiensium nundinarum Elenchus Sicariorum & Insidiatorum Index evasit. Et hæc colluvies hodie nos discruciat, quasi in orbe politia exularet. — Equidem usque saltem vivere precor, quo intellexero: quæ nova adparitio (horribilem satis eam esse oportebit) dirum eum sætum dispulsura sit.

Hac ratione in eleganti litteratura vigentes mores variant, quis hodie Milleri adhuc meminit? quis animum oblectat in Bardenhallio Sinedi? — paucis post annis prædonum & Sicariorum historiæ oblivioni traditæ, & poetica fictio in historia solum humanæ imbecillitatis continebitur.

Pro cultiore, proin minore parte nationis poetæ eminentes nostri desudant, pro minus cultis sub omni necessitatibus, & adumbrationum respectu poetæ minorum gentium; hi sunt, qui populares immediate per artem excolunt, educant, qui emolliunt mores nec sinunt esse feros per magiam Poeseos, hæc

nestri Judices, arbitrique artis nunquam ex mente epicere deberent, suaque judicia & hac definitione reddere perfectiora.

Hæc satis pro Aristarchis jam & quædam Politicis.

Parisiis die 5. Jan. Monitor hodiernus seqv. continet: Ex pluribus diebus nullum officiosum ab exercitu nuncium ex Hispania advenit, at hoc publicam anxietatem elicere nequaquam debet. Constat: Imperatorem die 22. Madrito abivisse ad occurrendum Anglicano exercitui ipsumque in persona 25. dextræ alæ Copiarum adfuisse.

Die 27. & 28. proelium cum pleno Anglicano exercitu circiter 40000 constante, reliquis copiarum Ducis Blake aliquotque delectibus e Gallæcia armatisque Colonis conjuncto perhibetur, initum proximum Nuncium indubie memorabile erit. a Vllatoletum, gallicis copiis occupatum est.

B I O G R A P H I A

Aristarchus primus & protopater omnium litteraturæ Ephemeridum & Critonum, ex Samothracia, sub Ptolomeo Philometore Novæ Aegypti Rege A. X. 374. recensuit Homerum, Pindarumque adeo stricte: ut nomen ejus in adagium abiverit, severique recensentes Aristarchæ adpellentur. Obiit in Ins. Cipro.

nostri Judices, arbitrique artis nunquam ex mente epicere deberent, suaque judicia & hac definitione reddere perfectiora.

Hæc satis pro Aristarchis jam & quædam Politicis.

Parisiis die 5. Jan. Monitor hodiernus seqv. continet: Ex pluribus diebus nullum officiosum ab exercitu nuncium ex Hispania advenit, at hoc publicam anxietatem elicere nequaquam debet. Constat: Imperatorem die 22. Madrito abivisse ad occurrendum Anglicano exercitui ipsumque in persona 25. dextræ alæ Copiarum adfuisse.

Die 27. & 28. proelium cum pleno Anglicano exercitu circiter 40000 constante, reliquis copiarum Ducis Blake aliquotque delectibus e Gallæcia armatisque Colonis conjuncto perhibetur, initum proximum Nuncium indubie memorabile erit. a Villatoletum, gallicis copiis occupatum est.

B I O G R A P H I A

Aristarchus primus & protopater omnium litteraturæ Ephemeridum & Critonum, ex Samothracia, sub Ptolomeo Philometore Novæ Aegypti Rege A. X. 374. recensuit Homerum, Pindarumque adeo stricte: ut nomen ejus in adagium abiverit, severique recensentes Aristarchæ adpellentur. Obiit in Ins. Cipro.